34.6.E.5.

IACOBI. CASTALIONIS ROMANI. IOS. F

ORATIO

In funere Magdalenae matris habita Corneti, in templo Sancti Franciſci, XIII. Kalendas Februarias. M.D.XCVII

AD

OCTAVIVM. BANDINVM

CARDINALEM



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVPERIORVM. PERMISSV

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum. 1598

Digitized by Google

Digitized by Google

OCTAVIO BANDINO CARDINALI FLAMINIAE. LEGATO

Iacobus Caſtalio Ioſephi filius. Salutem.

VIRTVTES animi tui alius alias admiratur, quibus & ad ſummos honores aditum tibi fecisti, & in gerendis honoribus ſapientiae gloriam conſequeris. Ego quotieſcunque ſingularem in te humanitatem eſſe de patre meo audio, audio autem ſaepiſſime, incredibili rapior cupiditate ad te amandum, colendumque. Teſtem obſeruantiae meae libellum mitto, quem nomini tuo inſcribere auſus non eſſem, niſi vt id facerem, illa ipſa humanitas mihi tua imperaſſet. Quamquam enim ab huiuſmodi conſilio deterrebar, quod & oratio, qua matrem ipſe laudaui, & patris poemata in coniugis, ac filiae obitum, diemque natalem meum, amplitudinem tuam minime decere viderentur: tamen mihi perſuaſi, nullum eſſe tā humile ſcriptionis genus, quod ad te delatum, pro tua facilitate, & ad ingenia fouenda propenſione, libenti animo non acciperes. Te igitur oro, atque obſecro, vt res domeſticas noſtras litteris mandatas, in ſinum tuum confugientes, non inuitus admittas: quando nos in fidem & clien-

telum tuam non grauate ſuſceperis. Abſoluetur aliquando, quod inchoatum & rude apud nos eſt de laudibus tuis opus, licet multi ſit laboris & otij pro rei dignitate dicere de familiae, unde ortus es, ſplendore, deq. optima educationis tuae ratione, corporis forma, ſtudijs litterarum, quas ab ineunte aetate ita coluiſti, vt in ijs excellueris, iuris ciuilis prudentia, pietate, iuſtitia, temperantia, & fortitudine, quarũ virtutum fama impulſus CLEMENS VIII. Pont. Max. te in magiſtratibus Vrbanis ſatis ſuperque ſpectatum pro Legato Bononiam adminiſtrare iuſſit, Archiepiſcopatuque Firmano auctum Cardinalem creauit, Legatũq. Rauennae, atq; vniuerſae Flaminiae conſtituit. Non enim in ijs conſcribendis modo, ſed ne in recenſendis quidem parum temporis ab ingenioſiſſimo quoque poni poſſet. Interim haec rerum noſtrarum monumenta ne aſpernare, qui nos tuendos ſemel ſuſcepiſti. Vale. Romae. XI. Kal. Auguſti. CIↃ.D.XCVIII.

IACOBI

IACOBI. CASTALIONIS IOSEPHI. FILII

ORATIO

In funere Magdalenae matris habita Corneti, in templo Sancti Franciſci, XIII. Kalendas Februarias, M.D.XCVII.

NON vereor, quin pie potius, quam impudenter vobis, qui funeri operam datis, feciſſe videar, quod matris laudandae munus ſuſceperim, praeſertim cum veterum Romanorum inſtituto nitar. Impedior quidem lacrymis, ne longiori, vt par eſſet, oratione vitam & mores eius complecti poſſim: ſed conabor vtcumque, in tantoque animi dolore ac luctu initium a genere ducam. Fuit Iulij Pontificis Maximi popularis, & quādiu Pontifex vixit, familiaris Iulius Simonius auus maternus meus, vir pari pietate, & innocentia. Is ex Hortēſia Torſiellā Romana coniuge filiam ſub horam prandij Idibus Maijs MDLIX. in vrbe ſuſcepit. Erat eo anno alter dies Pentecoſtes S. Spiritus in Apoſtolos immiſſione celebris, cū filia auus meus eſt auctus. Tanta parētes, cognatoſq. voluptate partus perfudit, vt nihil in vita iucūdius accidiſſe ijs ſit viſum. Ab amicis ſane; domeſticiſq. pauimentum, veſtibulum, & viam roſis refertam in laetitiae ſignificationem accepi. Infanti ſeptimo poſt ortum die, cum ſacris baptiſmalibus initiaretur, Magdalenae a pijs parentibus nomen factum. Per infantiam varijs grauiſſimiſque morbis vexata, medicis coniectandi anſam praebuit, fore breui vt in caelum reuolaret, aut ad ſum-

mum

mum,ſi adoleſceret, in matrimonioq. collocaretur,ſemel enixa vt obiret: In quo tamen falſi extiterunt. Patrem ipſa diuturni vi morbi conſumpta, aut certe nondum plane confirmata, annum agens vitae decimum, amiſit. Eius mortem, a quo vnice diligebatur, perquam moleſte tulit. Heres cum fratre natu minore, qui paucis poſt annis interijt, teſtamento paterno, inſtituta in matris tutelam venit: ab ea optime educata, noniocis, ludiſq. tēpus vllum poſuit, ſed totos dies aut nendo, aut acu varias res exprimēdo tranſigebat. Deum ante omnia ſuſpiciebat, reuerebatur, mente & cogitatione complectebatur, precibus ſe quotidie intercessioni Sanctae Mariae matris Dei, Sanctorum, Sanctarumque omnium non ſemel commendabat; ac ſiue domi, ſiue in eccleſia ſacras imagines adoraret, nudis ſemper genibus inſiſtebat. Diebus autem feſtis a prandio vitas Sanctorum Patrum, aut Sanctarum Virginum lectitabat, ad eorum exemplum ſe, moreſque componens ſuos; Inde factum eſt, vt caſte, ac ſumma cum animi moderatione ſupra plenae pubertatis annos peruenerit. A feneſtris prorſus, & iuuenum intuitu abhorrebat. Conſpici a quoquam, aut commendari formam ſuam aegre adeo ferebat, vt ſubinde ſubtraheret, inque aedium partem abderet penitiſſimam. Mater vero vnicam filiam cui crederet, diu multumque deliberans, Ioſepho tandem Caſtalioni patri meo, explorata prius viri fama, ſtudijſque per Ioannem Mariam Contuccium affinem ſuum, & Iulij Tertij Pontificis Max. intimum ſecretiore a cubiculo familiarem, anno M. D L X X X I I, octauo Kalendas Februarias, qui dies Sancti Pauli conuerſioni eſt ſacer, dotalibus inſtrumentis celebratis deſpondit. Deinde praeceptis, inſtitutiſque ſacri Concilij Tridentini cum ſatis eſſet factum, in eccleſia Sancti Saluatoris in campo pridie Nonas Februarias, Sacerdote auctore, ſponſa annulo, quod eſt matrimonij inſigne, donatur a coniuge. Poſtridie vterque, Euchariſtia ſumpta, benedictionem, vt appellant, a Parocho tulere, matrimoniumque conſummarunt. Nuptiae magna hilaritate optimatum procerum, & matronarum frequentia, choreis, & muneribus ſunt celebratae. Anno autem proximo

mum poſtri-

poſtridie Kalendas Iulias, quem diem Viſitationis Sanctae Mariae feſtum quotannis ſumma pietate coluit, ſub horam noctis primam me primogenitum peperit. Vbera infanti, niſi per menſem, admouere non potuit, quod papillarum dolorem minime ferret, quodq. ex magna lactis vi in febrim incidiſſet. Feminas deinceps tres genuit, quarum prima, cui nomen Felici fuit, morbo ſublata ſeptimo & decimo aetatis menſe e terris in caelum rediјt. Reliquas duas annis quatuor inter ſe diſtantes, Catharinam, & Lucretiam incredibili caritate aluit. Me in primis ſingulari amore atque indulgentia ſic proſecuta eſt, vt ſaepe cum patre meo, qui ad diſciplinam aſperior videbatur, altercaretur. Nihil erat laboris, quod liberorum cauſa non ſubiret: omnia excogitabat, moliebatur, efficiebat, quo filijs conſultum eſſet. Nihil ad victum cultumque quod pertineret, omiſit. Si quando quiſpiam e nobis aegrotaret, vix, ac ne vix quidem dici poteſt, quanto ſtudio, & cura adeſſet, opitularetur, inſeruiret. Patris vero ſic optime de ſe meriti, quem decennis, vt dixi, amiſit, memoriā ſumma pietate perpetuo coluit. Eius animae ſuffragia quotannis in Sancti Gregorij templo habenda per ſacerdotes curabat. Matri vero, quam ſuperſtitem reliquit, dicto ſemper audiens fuit. Ei neque in parum firma valetudine, neque in rebus aduerſis vnquam defuit. Virum ſuum vnice amauit: omnia ſe adeptam arbitrabatur, ſi ab eo gratiam iniret. Vnum illud exoptabat, vt cum viro aetatem degeret extremam, conſeneſceretque, non quod vitae huius mortalis valde cupida eſſet, ſed vt liberis, quoad ſe ipſi tueri poſſent, praeſto eſſet. Quod tamen ei non contigit. Verum quādiu in connubio vixit, vixit autē cum viro annos quindecim, ſemper coniugi morigera, curarum particeps, reique familiaris tuendae ſtudioſiſſima extitit. Deum & diuina myſteria ſummopere venerabatur. Religionem autē ita colebat, vt à ſuperſtitione cum ſuapte natura, tum mariti hortatu, & monitis quam longiſſime abeſſet. Cibi perpuſilli fuit, præſertimq. a pomis ſe abſtinebat. Piſcibus tamen auidius veſcebatur, quā carnibus: carnes item libentius aſſas, quā elixas appetebat. Pudicitia vero, & caſtitas in illa pene incomparabilis fuit. Nullis

vnquam

Digitized by Google

vnquam ceterarum exemplis, vocibuſve feminarum perduci potuit, vt fuco vteretur, formam pigmentis excoleret, ceruſſa & purpuriſſo faciem illineret, idque ſua ſponte, nullius iuſſu pertinaciſſime ſeruauit. Nihil alieni, ſui emolumenti & lucri gratia, apud ſe eſſe patie[illegible]tur. Huius rei vnicum proferam in medium argumentum ſilentio non inuoluendum. Telam in Vrbe a praetereunte inſtitore praeſenti pecunia cũ emiſſet, duoque ad ſummam deeſſent aurei, egit cum illo, vt quartum poſt diem rediret reliquos aureos duos accepturus. Is nunquam poſtea reuerſus eſt. Ipſa vbique hominem conquiri iuſſit. Nuſquam inuentum, obijſſe renunciatum eſt. Quo nihil acerbius tulit. Non enim videbat, qua ratione, vt volebat, ei, aut heredibus, qui nulli dicerentur, ſatisfieret. Quare pecuniam apud ſacerdotem, qui ſibi a confeſſionibus erat, ea de re conſultum, eius arbitrio erogandam depoſuit. Mercedes, & nomina contracta primo quoque tempore ex mariti praecepro diſſoluebat. In pauperes, rerumque ſacrarum cultum pro re familiari admodum benigna & liberalis fuit. Cupiebat quidem certe maiorem liberalitatis exercendae facultatem ſibi dari. Viros, feminaſque artioris vitae ſtudio, & religioſae diſciplinae obſeruantia inſignes, omni officio, ac pietate proſequebatur. Ex ijs quicunque ex humanis exceſſiſſent, eorum imagines, apud quas precibus vteretur, ſtudioſe conquirebat. In primis Congregationis Oratorij Patres, quibus & coniux addictus eſſet, venerabatur. Ineunte Octobri templũ Beatae Mariae Virginis matris Dei in Vallicella, ex Vrbe cũ viro in hanc ciuitatem profectura, ſalutauit. Ibi per Thomam Bozium pietatis & doctrinae gloria florentiſſimum, facta peccatorum confeſſione, Deo ſe reconciliandam curauit. Pater meus cum iuriſdictione & imperio a Petro Aldobrandino Cardinali ad vos ire iuſſus, cum a Caeſare Baronio item Cardinali, per quem praeturam adeptus erat, vrgeretur, vt quam primum diſcederet, iter adornabat, familiam vniuerſam ſecum ducturus. Accidit autem perincommode, vt ſubito in febrim Catharina ſoror mea natu grandior inciderit, quae res totam profectionis rationem ſubuertit. Cum enim antea, vt dixi, cum

Digitized by Google

xi, cum vxore, & liberis iuſſu Caeſaris Baronij Cardinalis abire decreuiſſet, filiae morbo grauiſſimo coactus eſt cum duobus tantum, quorum opera vteretur, praemiſſis ſarcinis, huc concedere. Verum ingraueſcente in dies filiae morbo, litteris vxoris ſuae Romam reuocatus, impetrata per aliquot dies a Cardinali Aldobrandino miſſione, in Vrbem reuertitur: quo cum veniſſet, filiamque prope extinctam offendiſſet, quid conſilij caperet, non ſatis ſciebat. Nam neque diutius a Praetura ipſe abeſſe poterat, neque vxor ſine viro in Vrbe relinqui volebat: filiamque grauiſſimo confectam morbo commouere, periculoſum erat. Fretus tamen Matris Dei, Sanctorumque auxilio, lectica deportandam curat. Sexto igitur Idus Nouembris anno Domini MDXCVI. profecti Braccianum, inde poſtridie Barbaranum progreſſi, quarto Idus Cornetum venimus. Sorori meae ſtatim melius fuit, oculis caligantibus tenebrae diſcuſſae, lumen redditum, corpus macie obductum, atque exhauſtum refectum, ac plane confirmatum; quae res incredibili nos gaudio perfudit. Quamobrem Deo, Deique genitrici, Sanctiſque actae a parentibus gratiae. Romam ea de re litterae cum ſororis meae veſtibus, & votiua tabella, miſſae ad Antonium Gallonium Congregationis Oratorij ſacerdotem, ſingularis integritatis & eruditionis virum. Ceterum nos ex ſumma lætitia in maximum dolorem, vt ſunt rerum humanarum viciſſitudines, repente coniecti ſumus. Nam mater, coniugis ſui inſtitutum ſecuta, pridie Domini noſtri Ieſu Chriſti Natalem ieiunium in noctem protraxit. Coenauit, à coena ſtomacho pituita referto laborare coepit. Neque tamẽ deterreri potuit, quin ad ſacra nocturna in peruigilio ſacratiſſimo cum viro, matre, & liberis in Sanctae Margaritae eccleſiam cathedralem ex Prætorio proficiſceretur. Inde domum reuerſa poſt mediam noctem vſque in lucem quieuit. Mox in templum regreſſa ſacris Miſſarum myſterijs interfuit, & cum viro a religioſiſſimo Epiſcopo Hieronymo Bentiuolo ſumma veneratione Domini noſtri corpus ſumpſit, neque per feſtos dies firma plane valetudine eſt vſa. Quarto autem Kalendas Ianuarias ardentiſſima febri correptam, morbi vis, quæ nullis neque

B fami-

Digitized by Google

familiarium laboribus, vigilijſve, neque medicorum artificijs, neq; votis, religioſorum ve precibus tolli potuit, cubili afflixit. Studium, amorem, caritatem, & pietatem mariti in vxorem, & matris in filiam maiorem nemo vnquam agnouit. Heſterna, proh dolor, nocte ſub horam primam, ſacris omnibus munita, per duos & viginti dies cum morbo conflictata deceſſit, & matronis, quae officij cauſa conuenerāt paulo ante rogatis, vt pro ſe Deum orarent, ſine vllo moleſtiae ſigno Chriſto Redemptori animam reddidit. Verbis exprimere non poſſum, quis deſerti coniugis dolor, & gemitus, quis orbae matris, & liberorum fuerit eiulatus. Per noctem ad defunctae corpus lotum, veſteque, auro, & gemmis ornatum, cereis accenſis preces, quae pro mortuis haberi ſolent, a viro, & a pijs hominibus ſunt recitatae. Hodie mane matronarum in praetorium factus eſt concurſus: amiſſam nulla non luxit. Hortenſiae auiae meae filiam inſolabiliter ploranti, dolendo, & conſolando nulla deſuit. Idem a viris patri meo de vxoris cariſſimae tranſitu vehementius dolenti eſt praeſtitum. Elatam honorificentiſſime omnes ordines, ciuitaſque vniuerſa proſecuta eſt in hoc S. Franciſci templum. Dolorem noſtrum nonnihil veſtrum hoc ſtudiũ & officium imminuit. Quod ſi veſtrae ad vitam matris meae caſte, pieque tranſactam preces acceſſerint, quo certius credi poſſit in beatorum ſedes animam illius relatam eſſe, maxima nos maeroris parte leuabitis. Equidem arbitror, matrem ę terris felicem migraſſe, ſi fęlix veterum ſapientum ſententia is eſt habendus, qui nullo rerum incommodo & detrimento accepto moritur. Nam Magdalena mater vitam ab infantia ad religionis normam inſtituit, perque Beatiſſimae Virginis protectionem, quae voluit, conſecuta eſt. Nupſit patri meo Ioſepho Caſtalioni Praetori veſtro ex Equite Lauretano, Iuris vtriuſq. prudentia, & literarum elegantia principibus viris caro. Nuptias ſuas viris, & feminis clariſſimis cohoneſtatas ſumma cum voluptate ſpectauit. liberis & redditibus aucta, nihil fere aduerſi eſt experta. Me Lateranae Aulae Comitem Sixti Quinti Pont. Max. beneficio factum, a Clemente Octauo item Pontifice Maximo annuis redditibus benigne donatum, paterniſque

niſque veſtigijs inſiſtentem laeta exoſculabatur, Coniugem cum iuriſdictione,&imperio in hanc praeturam comitata,apud vos & ſummo in honore fuit, & ad Dominum tranſiuit. Funus honeſtiſſima & celeberrima pompa factum. Miſſarum ſacrificia, & ſuffragia, quaecumque defunctis haberi ſolent, & hic rite procurata,&Romae perſoluentur plura,litteris ad amicos à patre ob id miſſis. Tres totas noctes,antequã mater obiret,fuit apud nos Fauſtina Sigiſmundi filia, quae ab ineunte adoleſcentia virginitatis ſuſcepto voto Sancti Franciſci Aſiſiatis inſtitutum conſtanter tuetur. Haec modolibellos de Paſſione Domini, deque Dei in homines benignitate recitans, modò de vita aeterna diſſerens, ad caeleſtem gloriam vltro aſpiranti ſtimulos ita ſubdiderat,vt diceret mater mea ex illius ſermone multum ſe adiumenti ad verae beatitudinis ſpem percepiſſe, vnumque in primis dolere, quod maiorem in liberos alendos, &res fluxas parandas curam, quam in Dei cultum,animaeque ſuae ſalutem, impendiſſe ſibi videretur. Deum,& Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum oro, vt animam matris meae in aeterna illa caeli claritate,ſimulatq. expediet, videre me iubeat, & vobis praeterea, qui exequijs interfuiſtis,omnia ſemper fauſta & felicia largiatur. Dixi.

ANTONIVS. NVMAIVS.
IOSEPHO. CASTALIONI
SALVTEM

De laudatione, quam in funere matris Corneti habuit Iacobus laudatiſſimae indolis adoleſcens filius tuus, iudicium meum exquiris ſuauiſſime Caſtalio, veritus fortaſſe, ne tuum integrum alioquin & firmum vel corrumpat paternus amor, vel infirmet. Ego vero, quamquam caeco de coloribus aeſtimanti nullam ſcio fidem adhibendam eſſe, volui tamen voluntati tuae obtemperantem temeritatis periculum praeſubire, quam petita negantem ficti amoris veſtigia reliquiſſe, eo libentius, quod cognita ingenij tui facilitate, confido haec eo te accepturũ animo, amico ſcilicet ac beneuolo, quo libero dantur, ac ſumma erga te beneuolentia affecto. In ea igitur orationis puritatem, locutionis elegantiams & ſermonis naturalem quendam candorem quis inficiabitur? Haec in adoleſcente primordia miros ad omnem dicendi facultatem progreſſus praenunciant quos tenera adhuc aetas ſi deneget, quid mirum? cum ad quoslibet profectus non labore tantum, & induſtria, ſed tempore etiam, & die egeamus. Nec ſegetibus, ceteriſque frugibus maturitas, niſi in tempore prouenit. Deſunt colores illi rhetorici, fateor, quibus paruae res extolluntur, & ma-

xima

Digitized by Google

ximæ deprimuntur. in illa, ijs ſi accederet ſententiarū ſplendor, & figurarum ornatus, nihil eſt, quod amplius in abſoluto oratore deſiderem. Puellam mihi videre videor naturali forma praeſtantem, non fuco illitam, non calamiſtris inuſtam, non ſerica, vel aurea veſte ornatam, quibus aeque atque a natiuo colore plerumq. aſtantium oculi rapiuntur, & falluntur, vt elocutione aures capiuntur, & animi. Pietas vtcumque in filio excuſabilis, qua nobilis animus dolore correptus cetera orationis pigmenta reiecit, mera dilectae matris narratione vitae contentus, in qua cum omnia laudanda complexus ſit, non ita forſitan ab alijs eadem laudarentur, ſi verborum circuitu virtutes eius extollere tentaſſet, quaſi parum rei veritate fretus. fides enim quodammodo dictis detrahi videtur, quoties verborum quibuſdam veluti fulcris vel ad laudes, vel ad vituperationes accedimus. Hoc meum de ea iudicium. De edenda ſi expoſcis, quid ni? Audendum quippe adoleſcenti exiſtimo, haec ſtudiorum ſuorum tirocinia ampliſſimo illi Cardinali probare, cui virtutum omnium ſpacia emenſo, tum vero eximia quadam humanitate, nobiliſſimo illuſtriſſimoque viro digna, eminenti gratam fore certo ſcio (expertus loquor) hanc optimi adoleſcentis pietatem perinde, ac ſpem illam, quam parenti litterarum ſplendore eius amplitudini probatiſſimo atque cariſſimo non paruam excitare poteſt. Quare, quod fauſtum, felixque, illi & opto, & auguror, audeat, & edat.

Digitized by Google

IOSEPHVS CASTALIO
IACOBO. FILIO
SALVTEM

ELEGIAS duas, quibus dolorem de vxoris, & filiæ morte, ſolari, ſeu verius teſtari meum, cum a iure dicundo, quaeſtionibuſque habendis vacui quid temporis eſſem nactus, libuit, carmenque de tuo natali die fuſum ex tempore ad te mitto. Quae omnia orationi funebri tuae, ſi videbitur, adiunges. Tu, velim, memineris, quo te cum ſorore tua, & auia in Vrbem conſilio remiſerim, amiciſque hoc potiſsimum anni tempore, quo honeſtiſſimus quiſque hinc in aeſtiua & ſalubriora loca ſe recipit, rationem eſſe valetudinis meae habendam perſuadeas, ne peſtilentis caeli vitio in morbum incidam. Ages cum Petro Cardinali Aldobrandino, vt mihi ante tempus, immo primo quoque tempore omnino ſuccedatur. Vale. Corneti Sexto Nonas Iulias Natali tuo. CIↃIↃ. XCVII.

IN

IN. LVCRETIAE. FILIAE ET. MAGDALENAE. VXORIS OBITVM

IOSEPHI. CASTALIONIS

Elegia

TE quoque Mors auido reſecans, Lucretia, ferro,
Solamen rapuit, deliciaſq. meas.
Vt flos purpureus vernanti concidis aeuo,
Ne iam ſit, tenero quae vocet ore patrē.
Annus agebatur vitae tibi ſextus, & aeſtas
Septima adornabat ſpicea ſerta comis.
Pingere acu docta, & cordas impellere docta,
Ad ſummae poteras tendere laudis iter.
Ipſa minor natu fratrem, dulcemque ſororem
Praeuertis moriens, deſtituiſque patrem.
Proſequeriſque tuo maternum funus, & auges
Funeſtam propria filia morte domum.
Ergo ego in hos ſeruor luctus, lacrymaſque ſuperſtes?
Et poenae adduntur tempora longa meae?
O tempeſtiue coniux mandata ſepulchro,
Quae non hoc aegro pectore vulnus alis.

Nunquam

Nunquam tu tantum potuiſſes ferre dolorem.
Felix, quae mecum non mala tanta vides.
Oppetis ipſa quidem viridi fraudata iuuenta,
Et noſtri linquis gaudia connubij.
Sed moreris felix, nullo vexata dolore,
Pignoribus ſaluis, incolumique domo.
Me miſerum, qui te amïſſam nocteſque, dieſque,
Et ſobolis carae funera acerba queror.
Non ego te poſthac coniux dilecta tuebor,
Percipiamve tuas filia blanditias.
Vos, o Vos liceat nobis tellure relicta
Quamprimum mixtas cernere Caelitibus.
Interea ereptas numeris vrgebimus ambas
Flebilibus, carmen pignus amoris erit.

EIVSDEM

Digitized by Google

EIVSDEM

DE. MAGDALENAE

VXORIS

ET. LVCRETIAE. FILIAE. OBITV

ELEGIA

SEXTVS ab vxoris proceſſit funere menſis,
Nec mihi ſunt longa lumina ſicca die.
Sed deſiderio dilectæ coniugis horas
Torqueor in cunctas, diſcruciorq́. miſer.
Multiplici rerum crudeſcit imagine vulnus,
Tranſadigitque recens pectora mæſta dolor.
Languida ſi viduo committere membra cubili
Nox ſuadet; gemitus fit mihi cauſa torus.
Hic mecum, repeto, carpebat læta ſoporem,
Hic ſæuæ indomitam vim tulit ægra luis,
Hic animam cæli ſuperas emiſit in oras,
Hic dulces natos, deſtituitque virum.
Si circumferimur celſæ penetralibus aulæ,
Vnde dolor ſurgat ſuppetit aula mihi.
Aedibus in medijs greſſus inferre videtur,
Et matronales obuia adire choros,
Solarique virum dictis, & vellere curas,
Complecti & natos pignora cara ſuos,

Digitized by Google

Exanimis domo ſublimi compoſita feretro
Nuſquam ſe ad gemitus flectere dura meos:
Explicui ſimul ingratis veſtigia tectis,
Confeſtim ſpecies me lacrymoſa petit
Scilicet hac molli carpento inuecta ferebat
Et matri, & caro gaudia magna viro.
Proh dolor, hac populo, atque ipſo comitante Senatu,
Extinctam exequijs triſtibus extulimus.
Ingredior quoties ſupplex ſacra limina templi,
Ex oculis manant flumina larga meis.
Namque nurus inter non vltima laude pudoris
Hic precibus flexit numina ſumma Dei.
Clauditur heu tumuli mutum nunc marmore corpus,
Nec reddit cuiquam, nec bibit aure ſonos.
Dure lapis, noſtro necdum ſatiate dolore,
Qui cumulas alijs funera funeribus,
Exhauriſque domum geminato pignore, & orbas
Prole patrem erepta coniuge ſollicitum,
Orbis in excidium precor haec tibi credita ſerues
Corpora, quae aetheria ſiſtat in arce Deus.
Turrigeri o nunquam Corneti frena dediſſet
ALDOBRANDINI dextra benigna mihi.
Inſolabiliter funeſta ſolus in aede
Non quererer ſenij grandia damna mei.
Non intempeſti verſarem crimina caeli,
Carminibus fieret nec rea terra meis.
Et nata, & coniux vitales duceret auras,
Aut non externa contegerentur humo.
Si tellus letho linquenda fuiſſet acerbo,
Vtraque natali condita ſede foret.

Te ſine

Te ſine, quo Romam repetemus pectore, coniux?
Te ſine, quid fuerit, filia, dulce patri?
Me quoque, me veſtris adiungat dira ſepulchris
Peſtilitas, carmen funera noſtra notet.
Caſtalio hic ſitus eſt, cum prole, & coniuge. Caelum
Vt teneat pariter, lingua precare pia.

EIVSDEM
DE. IACOBI. CASTALIONIS
FILII. NATALI. DIE

ALTERA lux abijt Quinctilis, & Heſperus alter
Nate tuo aetherios natali prouocat ignes.
Ecquid materni te commonet hora laboris?
Annus & a decimo quinctus veſtigia cogit
Noſtra ſequi, & famam ſtudijs conquirere honeſtis.
Iam potes vxorem per leges ducere pubes,
Ponere & heredem tabulis, vel templa tueri
Aetati permiſſa tuae. Iam vertere mentem
Ad grauiora decet, leuibusq. abſiſtere ludis.
Innumeris te Roma ſolum natale trophaeis

Digitized by Google

Excitat ad laudem, Patrum nec purpura ſumma
Praemia virtutis ſinit aeuum viuere inerte.
Virginis aeternae venerandum numen adora,
Cuius tu feſto veniſti lucis in oras.
Pro cara Dominam precibus genitrice fatiga,
Vt ſolium ſublime Dei, ſanctaſq. cohortes
Aſpiciat propius felix caeleſtibus oris.
Hac vna noſtrum minues ratione dolorem,
Et me de amiſſa ſolabere coniuge maeſtum.

Eiuſdem

EIVSDEM IN. NATALEM IACOBI CASTALIONIS FILII. DIEM

ANNO. DOMINI. M.D.XCVIII

IVLIVS aeſtiuas mortalibus attulit
horas,
Et colimus ſanctas intactae Virginis
aras.
Luſtra peregiſti vitae tria.laetius annos
Nate bis octonos ordire,Deiq. Parentem
Muneribus venerare pijs, & pectore puro.
Haec mihi feſta dies cunctis celebrabitur annis,
Quae te iucundas eduxit lucis in oras,
Et me quae patrio donauit nomine princeps.
Hac et ſub templo genitrix tua luce quotannis,
Dum fuerat vinclo nobis ſociata iugali,
Reginae Caeli meritos ſoluebat honores.
Nunc quoq. credibile eſt illam exſultare per arces
Aetherias hac luce, preceſque effundere pro te,
Laudibus & Dominam dignis ornare potentem.
O mihi plus oculis coniux dilecta, quid vltra
In terris vitam perfers me ducere acerbam

Te

Te ſine ? cur ſummo per te non ſiſtor Olympo ?
Sed tamen in terris dum, Magdalena; morabor,
Coniugij memores noſtri de pectore queſtus
Ibunt, & maeſtum ſolabor carmine amorem.

MAGDALE-

Digitized by Google



MAGDALENAE. IVLII. SIMONII. FILIAE
CONIVGI. OPTIMAE

VIXIT. ANNOS. XXXVII. MENSES. VIII. DIES
IV. OBIIT. CORNETI. IN. MARITI. HONORE
XIV. KAL. FEBRVAR. CIↃ IↃ XCVII

ET. LVCRETIAE. FILIAE. SVAVISSIMAE
VIXIT. ANNOS. V. MENSES. XI. DIES. VII
OBIIT. CORNETI. MAGDALENAE. MATRIS
DESIDERIO. VIII. IDVS. MAIAS. CIↃ IↃ XCVII

AMBAE. DEPOSITAE. CORNETI. IN. TEMPLO
S. FRANCISCI. IN. FORTVNII. LAELII.
MONVMENTO. QVIESCVNT. IN. PACE

IOSEPHVS. CASTALIO. CONIVX. ET. PATER
BENEMERENTIBVS

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google